



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,  
opusculum:||**

**Clicthove, Josse**

**Coloniae, 1527**

**VD16 C 4208**

Transubstantiationem in eucharistia: & ecclesiae determinatione  
comprobari, & sanctor[um] patr[um] graui autoritate, cui refragari non  
licet. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30220**

quod tamen ipsis nequaquam afficitur. Et ita de uini secundum substantiam desitione, & sanguinis Christi subsistentia sub illis accidentarijs proprietatibus: est dicendum.

Transubstantiationem in eucharistia: & ecclesiae determinatione comprobari, & sanctorum patrum graui autoritate. Cap XX

**H**Anc autem conuersionis speciem, in fine precedentis capituli explicatam, & super omnes alias admirabilem: uocat ecclesia sancta & auctores sacri, transubstantiationem. Quam esse diffiniunt conuersionem substantiae totius in alteram totam substantiam; non habentem communem materiam cum priore. Quam sane omnino diuersi esse generis ab alijs conuersionibus, cum naturalibus: et supernaturalibus. haud difficile conuincitur. Tum quod in alijs (quae naturae fiunt lege) conuersionibus substantialibus: prioris substantiae materia substerni uelut est & subiectum formae, substantiae posterioris, ut habeat succedens substantia, eandem communemque materiam: cum precedente. Quemadmodum cum ex ligno fit ignis, materia ligni substernitur atque subicitur formae ignis producti: & manet integra: transmutatione facta. In hac uero conuersione panis in corpus Christi: non manet completa mutatio, materia panis, ut recipiat in se formam substantialem corporis Christi. sed tota perditur simul cum forma panis: ut ibi sit totius substantiae panis desitio. Tum etiam, quoniam in alijs etiam supra naturam factis conuersionibus accidentia prioris substantiae non leguntur permansisse incolumia post completam transmutationem:

Quid transubstantiatio.

Transubstantiatio nis, ab alijs mutationibus, differetia.

## DE SACRAMENTO.

sed simul fuisse deperdita cum forma substantiali eiusdem substantiæ. & illis successisse accidentia, productæ recenter substantiæ consentanea: & materiæ eiusdem sequentis substantiæ in hærentia.

Exod. 7.

Ioan. 5.

In eucharistia neque generatio nec corruptionem.

Ut cum flumina Aegypti in sanguinem fuerunt omnipotente dei uirtute transmutata, & aqua in uinum in nuptijs factis in Cana Galileæ: neque hic aquæ accidentia manserunt in uino, neque illic qualitates fluminis, in sanguine aut eius materia. Hic autem & in altissimo eucharistiæ mysterio, prioris substantiæ permanet in sua integritate accidentia: deperdito ipsorum subiecto, Et cum nullum habeant succedens subiectum cui insint (nam sacro Christi corpori, eandem dinoscuntur non in hærentia: neque ipsum denominare talibus affectibus accidentibus) ipsa in sancta eucharistia, diuina uirtute (cui nihil est difficile, nihil impossibile) sine subiecto & per se subsistunt. Et ita communem accidentium conditionem supergressa: euehuntur ad hunc dignitatis gradum, ut quandam substantiæ induant naturam, in ipsa per se subsistendi sorte: qua illa accidentia nobilitantur. ¶ Tum denique, quia in alijs conuersionibus, unius esse solet substantiæ corruptio: & alterius generatio. Ut cum ex aëre fit aqua, aut ex ligno ignis: aut cum in uinum commutata fuit aqua, aut unda Aegypti in sanguinem. At uero in hac singulari & admiranda transmutatione: non est panis proprie corruptio, quoniam non manet superstes eius materia. nec corporis Christi generatio: quoniam in deperdita substantiæ materia non acquiritur eius forma. Quinimmo nec ipsius sacri corporis Christi est creatio: quoniam ante consecrationem integrum subsistit in cælo, & ita ad existentiam non producit, licet nouo in eucharistia subsi-

EVCHARISTIAE II. 70

stat mō: utpote sacramēti. Nec ipsius panis materialis in eucharistia ante existentis est annihilatio: quāvis totius substantiæ ipsius oīmoda sit desitio quā illi altera succedit sub iisdem accidentibus licet sibi extrinsecis: substantiā. Ad propriā autē annihilationis rationem id exigitur: quod huiusmodi omnimoda desitio substantiæ non terminetur in aliud ens, quod illi desinenti succedat. Sicut ad creationis rationē illud exposcitur: quod omnino ex non ente, & non præexistēte aliquo tanquā productionis illius initio, quāvis progrediatur ad ortū. Quo fit ut hæc transmutatio, extra omnium aliarum sortem & aleam uideatur reponenda: quinimmo supra cæteras omnes, ob nouam ipsius & admirabilem conditionem, iure collocanda, ut in qua deus (qui facit mirabilia magna solus) sua quotidie signa innouare: & omni efficacē suam uirtutem ostentare dignatur. ¶ Hanc igitur inconcussa fide tenendam transubstantiationem, amplecti libenter & profiteri debent omnes ecclesiæ sanctæ filij: qui nō uolunt a suæ matris aberrare uestigijs, nec præscriptam sibi sacræ fidei regulam prætergredi. Enim uero de sacramentis ecclesiasticis sentire debent omnes: quemadmodum ecclesia Romana cæterarum omnium parens & princeps, de illis tenendum prædicat, ut ex quinto libro epistolarum decretalium, titulo de hæreticis, cap. ad abolendam iuxta Lucij tertij canonem: supra est adductum. Atqui ipsa ecclesia catholica prædicat, & iā diutius determinauit: in consecratione eucharistiæ panem transubstantiari in corpus Christi, & uinum in sanguinē. sicut est principio epistolarum earundem, titulo de sūma trinitate & fide catholica, cap. firmiter credimus: iuxta Innocētiij tertij canonem

Nec creationē; nec annihilatiōne: in eucharistiæ sacramento fieri.

Psal. 135.

Capite. 3.

Capite. 3.

## DE SACRAMENTO

Innocenti  
us tertius.

in concilio Lateranensi aeditū: ante est probatum  
quod rem & hic reperere non piget. Ipse (inquit) Iesus  
Christus. sacerdos est & sacrificiū. cuius corpus &  
sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis  
& uini ueraciter continetur: transubstantiatis pa-  
ne in corpus & uino in sanguinem, potestate diui-  
na. Hæc ibi. Nemini igitur licet (si fidē catholicā,  
utī debet, seruare uelit inuiolatam (transubstantia-  
tionem inficiari; aut nomē eius & rem abijcere, si  
cut utriūq; aspernatur & reijcit Oecolampadius.

4 ¶ Veruntamen in prædicto Innocētijs (ut uocant)  
symbolo: quod clarius quorundā credendorū ueri-  
tatem referat, quā in symbolo apostolorū, Niceno  
& Athanasij fuerat explicata: ecclesia ipsa p̄ cele-  
brem illam & publicam suam decisionem, non fe-  
cit primo hanc ueram, q̄ panis transubstantiatur  
in corpus Christi: cum illam ueritatem tunc tenen-  
dam sanxit. Sed eā, ab initio institutionis sanctis-  
simi eucharistiæ sacramenti fuisse ueram declara-  
uit: quæ ante talem declarationem nō usq; adeo di-  
lucide fuerat explicata. Fuit enim illa, panis con-  
uertitur in corpus Christi & uinū in sanguinē: ab  
ipso primordio institutionis tanti mysterij, semp̄  
uera. sed nō fuit eius ueritas tā manifeste prius de-  
prompta: sicut postea, ad cōfutandas hæreticorū  
uesanias. Per illam uero publicam concilij Late-  
ranensis definitionem, apertius manifestata est to-  
ti ecclesiæ, propositionis eius ueritas: quam ante  
semp̄ habuit. & obstricti sunt arctius p̄ eandē ec-  
clesiæ determinationē fideles: ad tenendā illius fi-  
dei cōfessionem. Quemadmodū & in cōcilio Nice-  
no determinata fuit manifestius cōsubstantialitas  
filij dei cū patre: quæ uis hæc semp̄ fuerit ante uera, si-  
lius dei est consubstantialis patri, iuxta illud Christi

Quo mo-  
do in cōci-  
lio Late-  
ranensi trā  
substantia-  
tio fuit de-  
finita.

EVCHARISTIAE. I. 71.

sti uerbū in euangelio. Ego & pater: unū sumus.  
 Sed prædictæ propositionis ueritas, nō adeo clare  
 prius expressa: ad reprimendas Arrianorū insani-  
 as in eo cōcilio fuit patētius explanata, eno-  
 datiorq; reddita. Sicut igitur in sacrosancta syno-  
 do Nicena, prædicata fuit dilucidius & enunciata  
 filii dei cū patre cōsubstantialitas: ante nō tā plane  
 enucleata & reclusa. ita & in cōcilio illo Lateranē  
 si sub Innocētio tertio, palā & expresse declarata  
 est totius ecclesiæ autoritate, trāsubstantiatio pa-  
 nis in corpus Christi & uini in sanguinem, in sa-  
 cra eucharistia: quæ prius non ita aperte detecta  
 fuerat & reserata. ¶ Porro nō fuerit hic incōgru-  
 um, hanc ecclesiæ determinationē de fide transub-  
 stantiationis in eucharistia, firmiter tenenda: non-  
 nullis illustriū authorū testimoniis cōfirmare. Et  
 in primis eximii patris Anselmi: qui in epistola li-  
 minari sui operis de corpore & sanguine dñi, ait.  
 Cum ad benedictiones mysticas opante inuisibili  
 ter uerbo dei, corpus in corpus, substantia mutata  
 sit in substantiam: sicut in mensa nuptiali aqua in  
 uinum mutata, solū affuit uinū, in quod aqua mu-  
 tata erat: sic in mensa altaris solū adest corpus do-  
 mini, in quod uere mutata est uera panis substan-  
 tia. Nisi q̄ de aqua: nihil remansit in mutatiōe illa.  
 de pane uero mutato: ad peragendū sacri instituta  
 mysteriū, sola remanet spēs uisibilis. Vnde beatus  
 Ambro. Ne (inquit) horror cruoris fieret. ideo in  
 similitudine accipimus sacramentū. Idem etiam  
 Anselmus in opere supra dicto: ait circa principi-  
 um. Similitudo illa panis, q̄ in altari carnis se ocu-  
 lis ingerit: per se inspecta, non est corpus dñi. Sed  
 cū esset quiddā priori simile, id est, pani inhærens  
 uel accidens; migrante in corpus dominicum sub

Ioan. 10

5

Anselmus

Ioan. 2

Ambrosi.

Anselmus

## DE SACRAMENTO.

stantia, cui inhærebat, remansit ad peragendum  
 sacri institutū mysterij. Quod quidem contra usum  
 & rationē est mūdanz sapiētiz: ut sublata substan-  
 tia, substantiæ accidens subsistat. Sed legi naturæ  
 non subiacet deus: imo ipsius legis lex, est creator  
 suus. pōtq; accidētia subducto substantiæ funda-  
 mento uel cōtinere, uel in aliā trāfferre substantiā  
 q̄ terram uel secundum unum prophetam appen-  
 dit in nihilo. uel secundū aliū: sup maria fundauit  
 eam, & super flumina præparauit eam. Et paulo  
 post, idē probatus author subnectit ibidē. Est igitur  
 in mysterijs uera dñici corporis substantia: sed  
 absq; uisibili specie sua. & est uera species uisibilis  
 panis: sed absq; substantia sua. Vnde beatus Au-  
 gusti. Quod (inquit) uides in altari: panis est & ca-  
 lix quod nobis renunciant oculi nři. quod autē fi-  
 des postulat instruenda: panis, corpus est Christi,  
 & uinum. sanguinis est Christi. Et Ambrosius.  
 Vt sint: & in aliud cōmutentur. Nihil em̄ falsum  
 putandum est in sacrificio ueritatis, uel sicut fit in  
 magnor; præstigijs: ubi delusione quadam fallun-  
 tur oculi, ut uideatur illis esse, quod non est omni-  
 no. Sed uera species uisibilis panis quæ fuit in pa-  
 ne ipsa facta præter substantiam suam, quodam  
 modo in aliena pegrinatur, contenente eam qui  
 fecit eam: & ad suum transferente corpus: Quæ ta-  
 men translata ad corpus domini: non eo modo se-  
 habet ad illud, sicut accidens ad substantiam. q̄  
 corpus domini in substantia sua: nec album efficit  
 albedo illa, nec rotūdum rotūditas: sicq; de reliqs  
 6 Hæc Anselmus. ¶ Cui cōsonat omnino eximius  
 Hugo de sancto Vi pater Hugo de sancto Victore: in secundi libri de  
 ctore. sacramentis parte octaua, illiusq; partis capite no-  
 no, in hūc modū, Per uerba sanctificationis, uera

EVCHARISTIAE. I. 72

panis & uera uini substantia: in ueræ corpus & sanguinè Christi cōuertitur. sola specie panis & uini remanēte: & substantia in substantiā transeunte. Conuersio autē ipsa: nō secundū unionē, sed secundū transitio nem credenda est. Quoniam nequam essentia: in essentia augmētum accedit. ut p id quod accedit. id ad quod accedit, maius fiat. Sed transitione, ut id quod accedit: cū illo ad quod accedit, unū fiat. Nec sic in pane, corpus Christi cōsecrari dicimus: ut de pane, corpus Christi, esse accipiat. nec q̄si nouū corpus, subito factū de mutata essentia: sed in ipsum corpus ueræ mutatā essentia. Nec ipsam substantiam panis & uini in nihilū redactam: q̄a desijt esse quod fuit. sed mutatā potius: q̄a cœpit esse aliud, quod non fuit. Et ipsum quod cœpit esse: ex ea esse nō recepit, q̄a prius panis fuit. sed ipsa, eius esse accepit: quando desijt esse quod fuit. Hoc expressius distinximus propter eos: qui ex sua ratione, fidei præiudicium faciunt & sensu suo incedentes asserere nituntur: uel hoc esse solum quod cernitur, uel tale esse quod creditur. Hoc est, quia sola panis & uini species cernitur: solam ibi esse panis & uini substantiam. uel quia ibi substantia corporis & sanguinis Christi creditur: possibiliter ei inesse speciem & qualitatem panis & uini, quæ cernitur. Quasi non possit species apparere: cuius non assit substantia. uel substantia latere: cuius non apparet forma. Hæc ille. Accedit his & Augustinus. in libro de corpore & sanguine domini, dicēs: Non dubitare debet aliquis, cū panis & uinū consecrantur: ipsa transmutari in ueram substantiā Christi, ita ut nō remaneat substantia panis uel uini. cū multa alia etiā in opibus dei; non minus miranda uideamus, Homi-

Hæc uerba Hugonis sunt sūmope annotanda

Augusti.



## DE SACRAMENTO

Gene. 19.

7  
Eusebius.  
Emisenus

Idem.

nem enim substantialiter mutat deus in lapidem: ut uxorem Loth, & in paruo artificio hominis: cænum & filicem in uitæ. Nec credendum est: quod substantia panis uel uini remaneat sed panis in corpus Christi & uinum in sanguinem conuertitur: solūmodo qualitatibus panis & uini remanentibus. ¶ Neque ab horum sacrorum patrum sententia discrepat Eusebius Emisenus: dicens. Sicut quicumque ad fidem ueniens, ante uerba baptismi: adhuc in uinculo est ueteris debiti. his uero commemoratis: mox exiit omni fece peccati. Ita quando benedicendæ uerbis cælestibus creaturæ, sacris altaribus. imponuntur antequam inuocatione summi nominis cōsecrentur substantia illic est panis & uini. post uerba autem Christi: corpus est & sanguis Christi. Quid autem mirum est, si ea quæ potuit uerbo creare: uerbo possit creata conuertere? Rursum idem. Quanta itaque & quam celebranda beneficia, uis diuinæ benedictionis operetur: attende. Et ut tibi nouum & impossibile non debeat uideri, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur: te ipsum interroga. Sicut enim sine corporali sensu, præterita uilitate deposita: subito nouam indutus es dignitatem, & sicut hoc, quod in te deus lesa curauit, infecta diluit, maculata deterisit: non oculis sed sensibus tuis sunt credita. Ita & cum reuerendum altare, salutari cibo potuque reficiendus ascendis: sacre dei corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare. Hæc ille. Quamuis autem nonnullæ partium huius postremi authoris modo adductæ, in superioribus huius libri locis etiā prolatae fuerint: eas tamē hic repetitas uolui, ut cæteris quibus inseruntur sententijs annexæ: integram redderent & totā expectati testimonij sententiam. Demum quonam pacto

EVCHARISTIAE. I. 73

articulus ille transubstantiationis & subsistentiae  
accidentium sine subiecto, in sacra eucharistia, ex  
sacrae literae fonte euangelicoq; testimonio re-  
cta ratiocinatione deducatur: eximius autor, erudi-  
tioneq; praclarus, Thomas Vualden: circa finem  
septuagesimi quinti cap. sui libri de sacrament. lu-  
culenter & egregie demonstrat.

Thomas  
Vualden

¶ Quis horum Christi uerborum, hoc est cor-  
pus meum, proprius est sensus: & quomo-  
do illorum uirtute: fit cōsecratio sanctae eu-  
charistiae.  
Cap. XXII,

**D**Emum id su perest disquirendū: qua  
uirtute & efficacia fiat hmōi trāsmu-  
tatio, & accidentiū sine subiecto per-  
manentia, in ipsa cōsecratione eucha-  
ristiae. Et paucis rōndendum est: hęc  
omnia fieri uirtute uerborum Christi, ad perficien-  
dam huiusmodi consecrationem, ab ipso designa-  
torum. Quibus integre a sacerdote prolatis, non qui-  
dem in sua sed Christi loquentis persona: mox ad-  
miranda perficitur hęc (quā ante explicauimus)  
transmutatio. Vt in fine prolationis uerborum sup  
hostiam sacram: conuertatur panis in uerum Christi  
corpus, & finita pronuntiatione uerborum ad con-  
secrationem calicis accommodatorum: subito uinū  
in preciosum Christi sanguinem sic conuersum.  
Ad quod fidelibus psuadendum, non rōnibus phi-  
losophicis aut demonstratorijs opus est: sed sola et  
solida fide catholica, q̄ profiteatur non esse impos-  
sibile apud deum omne uerbum. & firmiter tene-  
at, q̄ sicut omnipotēti dei uerbo producta sunt o-  
mnia q̄ ante nō fuerant: ita uirtute eiusdem ines-

Lucæ. 1.

Gene. 1.

K